

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Excommunicatio c
cum fonte primo

Interdum fit ut aliquis non recto iudicio eorum
qui presunt ecclesie depellatur et foras mittatur.
Sed si non exiit ante, hoc est si non ita egerit
ut mereretur exire, nihil leditur in eo
quod non recto iudicio ab hominibus uidetur expulsus.
Et ita fit ut interdum ille qui foras mittitur intus sit,
et ille foris sit qui intus retineri uidetur.

Origenes super Leuiticum omelia XLVIII.

Sicut e contrario interdum fit, ut aliquis non recto iudicio eorum,
qui praesunt Ecclesiae, depellatur et foras mittatur.
Sed si ipse non ante exiit, hoc est si non ita egit,
ut mereretur exire, nihil laeditur in eo,
quod non recto iudicio ab hominibus videtur expulsus.
Et ita fit ut interdum ille, qui foras mittitur, intus sit
et ille foris sit, qui intus retineri videtur.

Origenes, *In Leviticum homelias*, 14.3
(SC 287, M. Borret ed., p.238, ll.58-64).